



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

An illud peccatum sit primis parentibus dimissum. H

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

humanā naturā mutauerit in necessitatē mortis & in totum genus humanum reatū diffuderit: nō est tamē putandum graui⁹ fuisse peccato in spiritu sanctum, q̄ neq̄ hic neq̄ in futuro, vt veritas ait, dimittitur. Quod vero totam humanam naturam corruptit, nō ideo est quia grauius fuerit cū ceteris aliis peccatis: sed quia ab homine commissum est, quando in vno homine tota humana natura consistebat, & ideo tota in eo corrupta est, maioreque effectum mali intulit quātum ad multiplices defectus, qui ex eo manauerunt, sed non quātum ad pœnam æternam, quam grauiorem non meruit, quam plures postea meruerunt p̄ alia peccata: immo alios grauiorem promeruisse credimus iram, quam Adam meruerit.

An istud peccatum sit primis dimissum parentibus. H

Si vero quæritur, an illud peccatum fuerit dimissum primis parentibus? Dicim⁹ eos per pœnitentiā veniam consecutos. Vnde Aug. in lib. de baptismo paruulorum ait. Sicut illi primi parentes postea iuste viuendo, creduntur per domini sanguinē ab extremo liberati supplicio, non tamē in illa vita meruerunt ad paradysum reuocari, sic & caro peccati etiam remissis peccatis, si homo in ea iuste vixerit, tum cōtinuo meretur eam mortē non perpeti, quam traxit de propagine peccati.

Quod peccata parentum visitantur in filios. & quod non sunt aduersa quæ Deus dicit in Exodo. & in

Ezechiele.

I

Et licet in peccatis parentū, nisi Adæ, paruuli nō obligentur, non est tamē distendū peccata parentum in filios redundare, sicut Dominus in Exodo ad Moysē ait, Ego sum De⁹ fortis, zelotes, visitans iniquitates patrū in filios vsq̄ in tertiā & quartā generationē, his qui oderunt me. His verbis aperte insinuat, q̄ De⁹ reddit peccata patrū super filios tertios & quartos. Huic autē videtur aduersari quod

Matth. 12. 4

Aug. ca. 34.

post medium

lib. 2. de pec-

catorū meri-

cis, & remis-

is baptis.

paruul.

tom. 7.

Exod. 10. 4